

A D L E C T O R E M.

Benevole Lector. In vestibulo hoc paullum sta. Apologia hac Remonstrantium serius, parcius, & incorrectius, quam pro voto ipsorum & tua forte expectatione in lucem prodit. Pericula & impedimenta in causa fuerunt, quae sub cruce plurima & gravissima esse solent. Opera Typographica diu defuerunt, quae tandem non nisi maximis impendiis redēta ac nihilominus tarda editionem ejus protelarunt. Parcitatē rerum ac testimoniorum peperit librorum defectus & adjumentorum necessariorum inopia. Latendum fere fuit, & longe aliquando a libris aliisque subsidiis fugiendum ob editorum severitatem. Quae singula Censoribus suppetierunt, ea omnia defuerunt exilibus, & adflictis. Nihilominus satisfactum putant causa simul ac Censorum curiositati. Nihil dissimularunt, aut consulto praeterierunt: Ubiq; sententiam ingenuè dixerunt, & liberè. Ingenuè, ne suspitioni locum relinquerent. Liberè, ut conscientia sua satisfacerent & bonorum desiderio. A necessariis non necessaria dogmata sollicitè ex animi sui sententia distinxerunt, ut quae ad pacem & mutuam Christianorum catuum tolerantiam pertinere putant, Christiano orbi representarent. Nempe hac via, Sectis, Schismatis, ac factionibus quibus passim fervet Christi populus, optimè ac tutissimè occurri posse persuasissimum habent. Hinc acrius aliquando carpsērunt Censuras illas, quae milium, quod dicitur, terebrant, & leviculas disensiones circa non necessaria aut non valde utilia, tanto cum supercilio exaggerant, ac si ex musca Elephantum facerent. Hoc tam noxium ulcus, hoc cacoethes acri aliquo cauterio subinde opus habere crediderunt. Nec usquam facile adfectus reperies, nisi in simili causa, ubi ad minutula & levia controversiarum tanquam ad vada & scopulos concordiae & mutuae tolerantiae naufragium futurum metuant. Ista censendi impetigo salem postrelavit quo defricaretur. Per totum Censura corpus serpit & recurrit cum ardore & molestia. Animus pacis & mutuae tolerantiae studiosus non magis eam sine commotione ferre potest, quam tener oculus festucam. Hinc enim omnes in Ecclesia lachryma. Caterum ne te offendant τρωλογογία, quae passim occurrunt. Censura id vitium est, non Apologia, quae pressè vestigiis Sectionum singularum institit, ne calumnia studio quicquam praeteritum esse conquereretur. Et tamen eas hic illic nonnunquam refectas & in suum locum rejectas reperies, ne fastidium te aut nausea caperet. Nec male te habeat, quod plerumque non Censorum sed Censoris vox occurrat. Consulto id factum est, quia Censura cento est, ad quem singuli laciniam contulerunt. Stylus & frequentes παλλογογία id arguunt; Inde nata est tam ingens Censura, quae alioquin pumila fuisset & nana: Mendae Typographicae non paucae, si aliculi tibi spina & remora videbuntur, cogita eas ex temporis injuria, & variorum correctorum seu inscitia, seu incuria, seu oscitantia natas esse, & disce afflictorum misereri. Vale & sine gratia sine odio, lege, judica.

A P O L O -